



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Dominica xv. post penteco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

quod supererogauit, reddet ei, quando in iudiciū ueniens, pro maiori labore prædicationis, maiorem retribuet retributionem, dicēs fidei seruo: *Eu-
ge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fi-
delis, supra multa te constituā, intra in gaudiū do-
mini tui.* Finita autē similitudine, interrogationem scribæ dominus pulcherrime conclusit dicens:

Quis horum triū uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?] Ille uero quod negare non poterat, & quod euidentissima ratio demonstrabat, respondit: Qui fecit misericordiam in illum. Cuius responsionem dominus cōfirmat, adiungens: Vade, & tu fac similiter. Ac si diceret: Sicut Samaritanus alienus natione, proximus factus ē uulnerato homini charitate, ita & tu omnem hominem proximum tuum iudicans, omnia bona quæ potes, quibuscunq; uales impēde, & implesti utiq; charitatē, quæ ad uitā ducit æternā.

DOMINICA XV. POST PEN-
tecosten. ad Galatas V.

Fratres, Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, &c.

DE hac lectione diuersi doctores nō æqualiter sentiunt, dicentes quidam de spiritu hominis locutum esse hic Apostolū, sicut Cassianus uir prudentissimus in Collationibus patrū: quidam de spiritu sancto, ut beatus Augustinus: quod utrunq; non incongrue neq; contra rectitudinē fidei accipi potest. Dicamus igitur iuxta Cassianum: [Spiritu ambulate.] id est, spiritu ducente uiuite. Quid est ergo spiritus hominis? Principa

litas animæ, quæ & rationabilitas mentis appella-
tur, per quam possumus cognoscere, quid debeat
mus appetere & quid evitare. Si, inquit, spū uixe-
ritis, hoc est, si iuxta rationabilitatem & intelle-
ctum mentis uixeritis, desideria carnis (id est, desi-
deria carnalis hominis & concupiscētiæ male ac
desideria delectationis prauæ) nō perficietis. Quæ
sint desideria carnis, in subsequentibus manifesta-
bitur. ¶ Dicamus & alter, sequentes sensum beati
Augustini. Notum habetur apud eruditos, spiri-
tus sancto dictante ac reuelante, qui unius substan-
tiæ est cum patre & filio, scripturas sacras conscri-
ptas esse, & omnia diuina eloquia & præcepta,
quæ in lege & prophetis atque euangelij gratia con-
tinentur, ab illo data esse. ideo dicit Apostolus:
[Spiritu ambulate,] hoc est, sicut spiritus sanctus
docet ac præcipit in diuinis scripturis, ita uiuite &
conuersa mini, ambulantes & crescentes de uirtu-
te in uirtutē, de fide ad spē, de spe ad charitatem, de
charitate ad operationem perfectā: quæ si hoc fece-
ritis, desideria carnalis concupiscētiæ nō perficietis.

Caro enim concupiscit aduersus spm, spūs
autem aduersus carnē.] Quid est quod dicit, Ca-
ro concupiscit aduersus spm, spiritus autem ad-
uersus carnem? Nunquid caro potest aliquid con-
cupiscere, si defuerit spiritus? nunquid probari po-
test ex corporibus mortuis? Postquam enim spiri-
tum exhalauerint, non solum concupiscere non
ualent, sed etiam aliquem usum membrorum per
se mouere nō possunt. Carnem ergo appellat car-
nalem hominem, qui carnalia tantum & tempo-
ralia quærit, uel carnalem quoque consuetudinem
& delectationem. Licet enim caro non ualeat per
HH

se aliquid implere, si defuerit spiritus, tamen quam diu a spiritu uiuificatur, semp contra ire spiritui uidetur, id est, rationabilitati mētis. Quapropter dicit Apostolus, [Caro concupiscit & reli.] Quomodo cōcupiscat caro aduersus spūm, uideamus. Caro desiderat repleri cibus, inebriari, luxuria ri, in omni delectatione manere, quærens semper quod suum est. Ecce quomodo concupiscit caro aduersus spiritum. E cōtra spūs cōcupiscit aduersus carnem, quia ille ditatur ieiunijs, abstinencia, castitate, & his quæ carni contraria sunt. Sed sequendus est semper spūs, quia ille quærit per quod anima uiuit deo. Similiter possumus & de spūsancto dicere. Dum enim carnalis delectatio desiderat transgredi præcepta dei, aduersus spūm sanctum concupiscit. Et dum spūs sanctus prohibet in lege & prophetis atq; in euangelio quæ caro desiderat, aduersus illā concupiscit. Vnde subdit Apostolus:

Hæc enim inuicem sibi aduersantur.

Hæc, inquit, id est, caro & spūs, sibi inuicem aduersantur. Sic sibi inuicem contraria sunt caro & spiritus, ut quod uult caro, nō consentiat spūs & quod uult spūs, nō cōsentiat caro: quia caro delectatur seruire uitijs, spiritus autem uirtutibus.

Quod si spū ducimini, non estis sub lege.

Quod si spiritu ducimini, id est, si rationabiliter uiuitis & conuersamini, non estis subiecti legi, sed alieni estis ab ea, nihil ei debentes.

Manifesta autem sunt opera carnis, omnibus in Christum credentibus, maximeq; illis qui spiritalem uitam sectantur & intantum nota sunt illis, ut etiam ab illis se alienos reddant, sci-

entes ga mortē generāt. quæ sunt fornicatio. Fornicatio dicitur a fornicibus, hoc est, a locis theatralibus & lupanaribus, & quæ fornicibus (id est, arcibus) sunt constructa: quæ & arenaria nunc appellantur, in quibus erant meretrices, in quibus commiscebantur spurcissimi quique. Fornicari autem est, cum puellis liberis, cum uidiuis nondū deo sacratis, & cum masculis atque pecudibus, coire.

Immunditia, impudicitia, luxuria. Omnis incontinentia ad libidinem pertinens, immunditia & impudicitia atque luxuria potest appellari, quocumque modo fiat. Luxuria uero est noxius humor superabundans. **idolorum seruitus.** hoc est, idololatria, quæ tunc temporis pene in omnibus gentibus erat. Possumus & per hoc quod dicit, idolorum seruitus, altiori sensu auaritiā intelligere. unde in epistola ad Colossenses, [ueneficia] sunt malefica, hoc est, maleficæ artes, per quas coguntur sepe miseri amare & amari. unde dicuntur ueneficia, quasi ueneno infecta. [inimicitia] sunt maligne uoluntates. [contentiones] sepe ex superbia procedunt, quia uolunt quidam contendere de questionibus diuinarum scripturarum & etiam humanarum, ut dum illi uictores existunt, glorificetur ab alijs. [æmulatiōes.] Æmulatio est inuidia, de qua legitur, quod æmulantes (hoc est, inuidentes) Ioseph fratres sui, uendiderunt illum. [ira] Ira est grauis commotio animi, & hoc distat inter iratus & iracundum, quia iratus per tempora est, iracundus uero facile irascitur, & semper prout est ad irascendum [rixæ] id est, lites & contentiones, quæ plerumque sine causa exurgunt. [dissensioes.] Dissen-

Col. 3

HH ij

fio est discordia, quæ solet oriri inter maritum &
 uxorem, inter fratres quoque atque cõtubernales uel
 commilitones. [sectæ] sunt diuisiones, idem sunt
 & hæreses. Dicuntur autem uel a sequendo, id est,
 diuidendo, eo quod diuidant se a communione
 aliorum, sicut hæretici faciebant, qui ab ecclesie
 unitate se segregabant, de quibus dicit beatus Ioh-
 hannes: Ex nobis exierunt, sed nõ erant ex nobis.
 Veliã a sequendo dinoscitur secta, sicut & hæ-
 reses ab eligendo, eo quod ex multis erroribus unũ
 eligant, & illum sequantur. [inuidiæ.] Inuidia in
 geminam scinditur passionem, cum aut is qui in
 honore est positus, uidens alium ad eum tendere,
 inuidet ei, ne ad eundem possit peruenire honorẽ:
 aut cum aliquis alterius felicitate torquetur, uicẽs
 illum superiorem se. [ebrietates.] Briam genere
 masculino dicimus calicem aptum potationi, a
 quo dicitur ebrietas, quæ est nimia potatio uini.
 [commestationes.] Commestatio dicitur mensæ
 collatio, siue mensæ alternatio. Sunt enim conui-
 uia, quæ celebrantur alternatim, & præparantur
 a socijs per dies & per uices. Sunt alia quæ ex com-
 munionẽ preparantur, quando unus affert panem,
 alius uinum, alius aliud: quæ idcirco appellantur
 commestationes, hoc est, mensæ collationes: quia
 sicut omnes proprijs cibis utuntur & communi-
 bus, ita etiam pro libitu suo unusquisque qui quid
 scurrilitatis & ociositatis ei placet loquitur: ideoque
 uocantur turpia conuiuia. & his similia, quæ
 prædico uobis, sicut prædixi, quoniam qui ta-
 lia agunt, regnum dei non consequentur.

Et his similia, id est, peccata, opera carnis sunt:

quæ opera prædico uobis modo, sicut prædixi. Vbi prædixit: ubi dixit: Non regnet peccatum in mortali uestro corpore [Quonia qui talia] opera [agunt, regnum dei non consequentur] Nō dixit, qui talia egerunt, sed, qui talia agunt, id est, qui in talibus permanent usque ad diem mortis suæ, uitam æternam non possidebunt, sic & dñs dicit in die iudicij reprobis: Discedite a me qui operamini iniquitatē, non qui operati estis, sed qui in peccatis uitam finistis. [Fructus autem spiritus est charitas.] Charitas græcum est, & interpretatur in Latinam linguam dilectio. Dilectio autem dicitur, eo quod duos liget, deum & hominem, uel duos proximos. Quæ merito in numero uirtutum primatum tenet, quia ipsa ligat cæteras uirtutes. Est autem charitas amor & dilectio, qua diligitur deus & proximus, & inimicus etiam, propter deum. Gaudium, id est exhilaratio cordis, & hoc distat inter gaudium & lætitiā, quia gaudium est nimia exultatio cordis & corporis: lætitiā uero est, quæ mediocriter fit solummodo in corde. Pax est requies & tranquillitas siue lenitas mentis, a qua Salomon nomen sumpsit pacificus, eo quod in diebus eius quies data esset illis a prælijs. Longanimitas est perseverantia in bono opere, & tolerantia inter aduersa, unusquisque enim fidelis longanimis debet esse, ut perueniat ad præmium promissum, iuxta quod dominus ait: Qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Bonitas, est bona uoluntas. Benignitas, est uoluntas promptissima, moribus & dulci alioquo temperata, inuitans non solum beneuolos ad se diligendos, sed insuper illos qui contrarij uidebantur esse. Vnde dicitur benignus, quasi ual-

Rom. 6

Matt. 7

Matt. 10

de nimisq; bonus. [fides] est, qua credimus deum omnipotentem, trinitatem habere in personis, unitatem in substantia, & qua speramus & credimus ea quæ non uidemus. Illarum enim rerum quas uidemus, spes non est, sed illarum quæ necdum uisæ sunt nobis. Verbi gratia: Credimus dominum Iesum Christum pro salute nostra passum esse, & resurrexisse a mortuis, ascendisse ad cælos, uenturum ad iudicium, reddere unicuiq; secundum quod meretur. Fides est & credulitas, qua speramus ea quæ cernimus oculis corporeis. [modestia] est mansuetudo seu lenitas mentis, quæ læsa, non facile irascitur. [continentia] est abstinentia, qua se prohibet homo a coitu, & mulier similiter ab omnibus illecebris. [Castitas] est proprie uirginum. unde dicitur castus. & hoc est inter continentiam & castitatem, quia continentia potest esse conjugatorum, uiduarum & uiduorum, atq; uirginum: castitas uero proprie uirginum est. Aduersus huiusmodi non est lex, id est huiusmodi hominibus talia operantibus, non est lex contraria neq; illis necessaria. etenim alieni sunt ab ea. Quare non est illis lex necessaria aut contraria? Dicit illa: Non adulterabis, non occides. Illi non solum hoc non faciunt, sed etiam seruant castitatem uirginitatis: & non solum ab homicidio se abstinere, sed in super inimicos suos diligunt. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs.

Qui autem sunt Christi, hoc est, qui pertinent ad sortem Christi, uitia & concupiscentias malas in carne sua mortificauerunt. Quot enim peccata a nobis expellimus, tot semper in nobis occidimus: &

Carnem crucifigimus & mortificamus, qñ delectationi prauę & uolūtati peruersę nō consentimus.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN. Lucę XVII.

In illo tempore Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilaam. Et reliqua.



Qui Iudę terrę cōfinia nouit, facile intelligit, qđ pergens dominus Ierusalē ex his locis, in qbus cum supra euāgelista docuisse cōmemorauit, etiā ad literam per mediam Samariam & Galilaā transitum habuit. Et quia propter nos & propter nostram salutem homo factus, nō solū ad se ueni-

entibus regnum dei euangelizabat, sed etiam per diuersa loca pergens, plurimis sanitatē tribuebat.

Et cum ingrederetur quoddā castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi, qui steterunt longe, & leuauerūt uocem, dicentes: Iesu pręceptor, miserere nostri.

Non em̄ prope accedere audebāt, quibus uis si Ies suaderet affectum, lepra tamen prohibebat accessum. Excluebātur em̄ a castris, qui huiusmodi sustinebant passionem. Neq; enim solo uisu uel sermone ab illo se recipere sanitatem du-

bitabant, cuius a longe stantes auxilium humili-
ter flagitabāt. ¶ Spiritualiter autē, castellū quod dñs
ingressus est, mundum significat. Quasi enim ca-
stellum intrauit, quando ex Maria uirgine carnē
assumens, mundo uisibilis apparuit. Decem uiri le-
prosi, qui ei occurrerunt, populum significant Iu-
deorum. Qui bene decem fuisse referuntur, quia
idem popul⁹ decalogum legis acceperat ad suam
eruditionem. Decem autem, sed leprosi fuerūt, quia
eiusdem decalogi praecepta transgrediens, appa-
rente dño in carne, uarijs doctrinis diuisus, diuersis
erat iniquitatibus pollutus, Apostolo teste, qui ait:

Ro 3. Non est distinctio Iudæi & Græci, omnes enim pec-
cauerunt, & egent gloria dei, iustificati gratis per
gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Chri-
sto Iesu. Et iterum: Tribulatio & angustia in oēm

Rom. 7. animam hominis operantis malum, Iudæi pri-
mum & Græci. Conuenit autem his, qui ex Iudæ-
is in Christum crediderunt, quod leprosi a longe
stantes clamabant, dicentes: Jesu præceptor, mi-
serere nostri. Iesus Hebræo sermone, latine sal-
uator siue salutaris dicitur. Et ideo a quo salutem
sperabant, non solum saluatorem nominabant,
sed etiam misericordiam poscebāt. Et quia in ei-
us præceptis se offendisse reolebant, non solum
saluatorem, sed etiā hunc pariter & præceptorem
uocabant. Nec de suis meritis quicquā præsume-
bant, qui eius misericordiam tam humiliter depo-
scebant: [Iesu præceptor, miserere nostri.] ¶ Aliter:
Per leprosoſ nō incongrue hæreticos intelligere
possumus, quia sicut lepra uarios colores expri-
mit in cute, sic hæreticorum doctrina uarios erro-
res generat in sermone. Non solum enim a catho-

lica ecclesia sunt diuisi, sed etiam aduersum seipfos diuersa sentiunt. Dum enim alius Christū deum tantum credit, & non hominem: alius uero hominem tantum, & nō deum: alius eum ueram carnē suscepisse negat, & alius e contrario ueram animā non assumptisse affirmat, quasi lepra uarium colorem in cute exprimit. Hi tales a longe stare debent, quia ab ecclesia repellendi sunt, ne lepra suae immunditiae simpliciū corda commaculent, sicut per Apoolum dicitur: Hæreticum hominem post unam & secundam correptionē deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi. Vnde & Iohannes ait: Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum excipere in domo, neq; Aueci dixeritis, ut non cōmunicetis operibus illius malignis. Quod si ad ecclesiā redire uoluerint, nō prius recipiendi sunt, q̄ corā sacerdotibus orthodoxis suam hæresim anathematizēt. Vnde & bene subditur:

Titi. 3.

2. Ioh. 10.

Quos ut uidit, dixit: Ite, ostendite uos sacerdotibus. De nullis alijs legimus, quibus dominus hæc beneficia corporaliter præstitit, quod miserit eos ad sacerdotes, nisi tantū leprosos. Quod nō solum in hoc loco fecisse legitur, sed etiam alibi iuxta Matthæum, cum descenderet de monte, leprosum ph betur curasse, cui dixit: Vade & ostēde te sacerdotibus, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. Quod uarias ab causis eū fecisse credimus. Primum, ut sacerdotibus honorem deferret. Secundo, ut non contradictor legis uideretur, quia legis præceptum erat, ut si quis a lepra mundatus esset, ueniret ad sacerdotem, & offerret hostiam pro sua emundatione. Tertio, ut sacerdotes uidēt es leprosos mūdatos, si crederent

Matt. 8.

in mundatorem, inuenirent salutem: si autem credere nollent, inexcusabiles essent. Siue certe leprosos ad sacerdotes misit, ut ostēderet quia illud carnale sacerdotium, spiritale sacerdotiū quod nunc in ecclesia agitur, præfigurabat. Est enim inuisibilis lepra in anima, quando uarijs peccatis inquinatur conscientia. Dum enim alius homicidium, alius furtum, alius adulterium, alius rapinam, alius sacrilegium & cætera his similia perpetrat, quæ si diuersis coloribus inuisibilis lepræ animam foedat. Tales si mundationem animæ accipere uolunt, necesse est ut longe stēt, id est, a cōsortio sanctorum se indignos iudicent, magnisq; clamoribus Iesum interpellent, id est, cum magna contritione cordis diuinam clementiam exorent, dicentes cum Psalmista: Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Ad iuuua nos deus salutaris noster, & propter gloriā nominis tui dñe libera nos, & propicius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Et quia non solum sacerdotibus peccata sua confiteri debent, sed etiā secundū eorū consiliū penitentiā & satisfactionē ueniæ suscipere, recte dicitur: [Ite, ostēdite nos sacerdotibus] Vice em̄ dei peccata sacerdotibus pandēda sunt, & iuxta eorū consiliū penitentia agēda. Quod in diuina lege p̄figuratum ē, q̄si Moysi de leprosis tale præceptum ē datum: Vir, in cuius cute uariis color apparuerit, ueniat ad sacerdotē & ostēdat se illi. Qui recludat eum in domo p̄ septem dies separata seorsum. Post septē autem dies eum intuitus, si uiderit creuisse leprā, addat & alios septē. Post quatuordecim uero dies, adhuc

Psal. 75.

Leuk. 13.

si uiderit crescere lepram, sciat quia lepra persequens est. Et tunc iudicet eum leprosum, & eiciat extra castra, maneatque in tonsa barba, scissa ueste, opero capite, aperto ore, immundum se iudicans omnibus diebus separationis sue. Quod si sanatus fuerit, qui huiusmodi passionem sustinet, ueniat ad sacerdotes, & offerat pro emundatione sua hostiam, id est tortam panis, & sextarium olei ad luminaria conuincinnanda: duosque passeres uiuos, unum pro peccato, & alterum in holocausto. ¶ Quae omnia qualiter nunc in ecclesia agenda sunt, breuiter uideamus. Lepra (ut diximus) peccatum significat. Qui ergo habet lepram peccati in anima, debet uenire ad sacerdotem, & ei humiliter sua peccata confiteri. Qui eum intuitus, recludat septem diebus in domo separata seorsum, id est, secundum qualitatem & quantitatem peccati poenitentiam ei iniungat. Post septem autem dies eum intuitus, si uiderit creuisse lepram, addat & alios septem: quia ubi additur peccatum, necesse est ut augeatur uindicta peccati. Post quatuordecim uero dies, si lepram crescere uiderit, id est, peccatum in consuetudinem uenire, sciat quia lepra perseverans est. Et tunc iudicet eum esse leprosum, & eiciat extra castra, id est, extra ecclesiam eum repellat, uel a consortio sanctorum indignum iudicet. Maneatque in tonsa barba, quod ad squalorem poenitentiae pertinet. Scissa ueste, ut per confessionem manifestam habeat poenitentiam, uel conscientiam. Operto capite, quia a praedicatione cessare debet, qui peccatis inhaeret. Aperto ore, non in peccati defensione, sed in sua accusatione. Si autem mundatus fuerit, qui huiusmodi passionem sustinet, hoc est, si digne poenitendo a consuetudine peccati cessa

uerit, offerat pro emundatione sua tortam panis, id est, dulcedinem charitatis, quibuscūq; potest, impendat, non solum amicis, sed etiam inimicis, & sextarium olei, id est, misericordie uiscera induat in se peccantibus clementer ignoscat: & hoc ad luminaria concinnanda, ut sicut plures suo malo destruit exemplo, perdit uiuendo: ita plures reedificet sua satisfactione, digne pœnitendo. Offerat quoque duos passeris uiuos, unum pro peccato, & alterum in holocausto, id est, uel duo genera cōpactionis, timoris scilicet & amoris, uel certe corpus & animam, ut sicut exhibuit membra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita & exhibeat seruire eadem iustitiæ in sanctificationem. Quæ omnia quia ad iudicium sacerdotis agenda sunt, recte leprosis dicitur: [Ite, ostendite uos sacerdotibus.] Qui locus eorum opinionem destruit, qui erubescens peccata sua sacerdotibus confiteri, quoddam occasionis ingenium inuenerunt, dicentes sibi sufficere, ut soli deo peccata sua confiteantur, si tñ ab ipsis peccatis reliq; cessent. Quoruū opinio si uera esset, nequaquã dñs leprosos quos p̄ semetipsum mūdauerat, ad sacerdotes mitteret: nec Paulū quē p̄ semetipsum in uia allocutus fuerat, ad Ananiã sacerdotē destinaret. Nam ut ostenderet ad iudicium sacerdotum peccata esse liganda atq; soluēda, Lazarū quē quatrduanū mortuū p̄ semetipsum a mortuis resuscitauerat, nō prius abire permisit, q̄ a discipulis solueretur, sicut scriptū ē in euāgelio: Et surrexit ligatis manibus & pedibus, q̄ fuerat q̄riduanus, mortuus. Tūc ait discipuli suis: Soluite eū, & finite abire. Ad quam etiã autoritatē confirmādam, quū Petro apostolo, collatis clā

¶

Actu. 9.

Ioh. 11.

uibus regni caelorum pontificum ligandi soluen-
diq; tradidisset, ait. Quodcumq; ligaueris sup ter **Mat. 16.**
ram, erit ligatum & in caelis: & quodcumq; solue-
ris super terram, erit solutum & in caelis.

Et factum est dum irent, mundati sunt.

¶ Non solum diuina potestate, sed etiam piissima
dispositione, leprosi antequam ad sacerdotes ueni-
rent, in uia mundati sunt, ut & ipsi mundatorem su-
um cognoscerent, & sacerdotes illorum munda-
tioni nihil se contulisse sentirent. Iuxta uero spiri-
talem intelligentiam, leprosi antequam ad sacer-
dotes ueniant, mundantur: quia non sacerdotes,
sed deus peccata dimittit.

Vnus autem ex illis, ut uidit qm mundatus est, re-
gressus est, cum magna uoce magnificans deum.

Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias
agens. ¶ Unus iste qui ad referendas gratias mū-

dati suo reuersus est, unitatem significat eccle-
siae, quae cum sit lōgitudine terrarum diuisa, quia

unum credit, unum sapit, unum desiderat, in unita-
te tenetur, de qua scriptum est: Multitudinis cre-
dentium erat cor unum & anima una. Et iterum:

Qui facit unanimes habitare in domo. Et alibi:

Ecce quā bonum & quā iucundum habitare fra-
tres in unum. Non enim longitudo terrarum sepa-
rat, quos ea dē fides & charitas sociat. Magna em̄

uox, non tm̄ sonum oris, quantum intentionem si-
gnificat cordis. Magnus em̄ clamor sanctorum ma-
gnū est desiderium, quia unusquisq; q̄tum amat,

tm̄ clamat. Hinc Moysi a dño dicitur Quid clamas
ad me? cū r̄c nihil locutus fuisse legatur. Hunc cla-

more se nouerat habere in corde Propheta, q̄ pro

Actu. 4.

Psal. 67.

Psal. 132.

Exo. 14.

- Pfal. 118** magnitudine amoris dicebat: Clamaui in toto corde, exaudi me domine. Et iterum: Domine, clamaui ad te, exaudi me, intende uoci meae cum clamaui uero ad te. Et pulchre iste, qui referēdas deo gratias mundatori suo rediit, in faciem cecidisse dicitur. Qui enim in faciem cadit, ibi cadit, ubi non uidet. Cadere ergo in faciem, adorantis est siue deprecantis. Cadere retro, est superbientis siue cōtēnentis. Deniq; Abraam, postquā uidit diē Christi, cecidit in faciem suam, & adorauit. At uero de persecutoribus domini scriptum est, quia abierūt retrorsum & ceciderūt in terrā. Heli uero, q̄ filios nō corripuit, cecidit de sella retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est. Et de Antichristo scriptura figurate loquitur: Ut cadat ascēsor eius retro. Et ideo ante cadere, electorū est: tetro autē, reproborū.

Et hic erat Samaritanus.

- ¶** Cum hunc, qui ad referendas gratias mundatori suo rediit, euangelista tam folicite Samaritanū nominauit, reliquos, qui ingrati remanserunt, iudeos tacite norauit. In multis enim locis euangelij promptior fides gentium, quā iudeorum ostēditur, sicut dominus alibi fidem cēturionis collaudauit, dicens: Amen dico uobis, non inueni tantā fidem in Israel. Sed q̄ Samaritanus interpretatur custos, recte iste per quem unitatem ecclesiae diximus figurari, Samaritanus nominatur: quoniam inde ecclesiae suae mūdationē uel uirtutē firmiter custodit, quia nō in se, sed in deo firmiter cōfidit, dicens cū Psalmista: Custodi me dñe ut pupillā oculi, sub umbra alarum tuarum, protege me. Et iterum: Nisi dñs custodierit ciuitatē, frustra uigilat q̄ custodit eā. Vel ut alias uirtutes habere posset, custodiā hu-

Pfal. 16.

Pfal. 126

militatis retinere studuit, sicut faciebat q̄ dicebat:
 Humiliatus sum usque nāq; dñe. uiuifica me secū **Psal. 118.**
 dum uerbum tuum **Respōdēs aut̄ Iesus, dixit:**
Nonne decē mūdati sunt? & nouē ubi sunt?
 Nō ideo dñs interrogat, ut alqd ignoret, añ cuius
 oculos nuda & aperta sunt oīa, quiq; scit anteq̄ fi
 ant, sed ut ostēderet se illos nescire Scire uero dei,
 eligere ē: nescire uero, reprobare. Nouit dñs q̄s ele **Exo. 33**
 git, sicut cuidā iusto uiro dictū ē: Noui te ex noīe:
 Et sicut Apostolus dicit, Nouit dominus q̄ sunt ei **2. Tim. 2**
 us. Quos autem reprobat, nescit, sicut in fine re-
 probis dicturus est: Discedite a me omnes qui ope- **Mat. 7.**
 ramini iniqua: ē, nescio uos unde sitis. Eos ergo, **Luc. 13.**
 qui ad referendas deo gratias ingrati remanserūt,
 quasi incognitos ubi sint requirit, dicēs: [Nonne
 decem mundati sunt? & nouem ubi sunt?

Non est inuentus qui rediret & daret glo-
 riam deo, nisi hic alienigena.

¶ Et pulchre hi qui ingrati remanserunt, nouena-
 rio numero cōtinentur. Nouenarius namq; nume-
 rus imperfectus est, & ad suā perfectionē explen-
 dam uno indiget. Numerus uero unitatis pfectus
 est, & diuidi nō potest: & ad suā pfectiōem explen-
 dam nullo indiget, q̄a unus domin⁹, una fides, unū
 baptisma, unus deus, & pater om̄ium. Bene ergo
 per illos, qui in nouenario cōtinentur, illi significā-
 tur, qui ex perceptis donis dominicis gratias deo
 non referunt. Per illum uero, qui mundatori suo
 gratias retulit, illi q̄ ex pceptis beneficijs gratias **Psal. 32**
 ei referunt, dicēs cum Psalmista: Benedicā domi-
 num in omni tempore. Quia neque hic decalogi
 praecepta perfecte custodiunt, neque in futuro de

narium remunerationis, qui in uinea laboranti-
 bus, promissus est, percipient. Et ait illi: Surge, ua-
 de. Qui humiliter ante pedes domini ceciderat,
 recte audire meruit: Surge, uade. Quia sicut ipse
 ait in euangelio: Omnis qui se humiliat exaltabitur.
Luc. 14. Et sicut per Salomonem dicitur, Humilem spiritu
& 18. sequitur gloria. Tunc autem peccator surgere &
Pro. 29. abire permittitur, quando per dignam satisfactio-
 nem a peccatis absoluitur. Et quia sine fide impos-
Heb. 11. sibile est placere deo, recte subditur:

Quia fides tua te saluum fecit.

Fides enim principalis est uirtus, quia sicut ait
 scriptura: Iustus ex fide uiuit. Et sicut Apostolus:
2. Co. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hec.
 Vera est autem fides quæ hoc credit mente, quod
 non uidet corpore, teste Apostolo, qui ait in epi-
Heb. 11. stola ad Hebræos: Est fides sperandarum rerum
 substantia, argumentum non apparentium.

DOMINICA XVI. POST PEN-
 tecosten. ad Galatas V. & VI.

FRatres, Si uiuimus spū, spiritu & ambu-
 lemus &c. Hic de spū sancto loquitur. Si in-
 quit, uiuimus spiritu, hoc est, si per spū sanctum
 uitam habemus, per quam uiuimus deo, spi-
 ritualiter debemus conuersari & uiuere, ambulātes
 de uirtute in uirtutem: uirtutem sectando, uitia re-
 spuendo. Vita animæ, fides est, qua credimus deum
 omnipotentem. Et sicut corpus uiuit anima, ita ani-
 ma uiuit fide, iuxta quod per prophetam domi-
 nus dicit: Iustus autem meus ex fide uiuit, quod si
Haba. 2. subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Quæ si
 de per spū sanctum nobis tribuitur, qui est un⁹